



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Impedimentum cognationis naturalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

ne factorum ordinum, vel in professione religionis : votum simplex est illud quod fit ad libitum cujuscumque. *Ibi punct.*

4. num. 1.

64. Votum castitatis, emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimit matrimonium, etiam consummatum, factum post ipsam professionem, consequenter religiosus professus invalidè contrahit matrimonium. Idem dicendum de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis JESU, peracto biennio. *ib. n. 2. & 3.*

65. Professio facta in approbata religione, dirimit matrimonium celebratum ante ipsam professionem, modò matrimonium sit tantummodò ratum, & non consummatum. Idem dic de professione Equitum militarium. *ibid. num 4 & 5.*

66. Facta professione ab altero ante consummatum matrimonium, conjux manens in sæculo potest cum alio contrahere matrimonium. *ibid. num 5.*

67. Matrimonium consummatum celebratum ante professionem, non dirimitur per sequentem professionem; etiam si fuerit consummatum intra bimestre. Sunt qui addant & per vim, sed malè *ibid. num. 7. & 8.*

68. Alter conjugum post matrimonium consummatum, valide professionem non emittit altero incio, vel consentiente per metum, dolum, &c. seclusa tamen causa perpetui divortii. Item, invalida est professio quam uterque conjux emittit credens alterum perisse. Adde, conjuges de communi consensu posse ingredi religionem post consummatum matrimonium, imò etiam unum, altero manente in sæculo, si proventæ sit ætatis, si emittat votum continentiae, & Episcopus consentiat. *ibid. n. 9. & seqq.*

69. Ingressus religionem post consummatum matrimonium, committit adulterium, si cum alio copulam habeat. *ibid. n. 13.*

Impedimentum cognationis naturalis.

70. Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem proximo stipite descendentiurn carnali propagatione contractum. *ibid punct. 5. §. 1. num. 3.*

71. Consanguinitas distinguitur per lineas & gradus. Nomine *linea*, intellige seriem seu collectionem personarum, tam ascendentiurn, quam descendentiurn. Nomine

gradus, intellige distantiam majorem vel minorem una personæ ab alia. Linea duplex est, recta, & collateralis seu transversa. *Ibid. n. 4 & 5.*

72. Invalidum est saltem jure Ecclesiastico, matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusive, tam in linea recta, quam in linea transversa. Item matrimonium celebratum in linea recta consanguinitatis, invalidum est jure naturæ, in primo tantum gradu. *Ibid. num. 7. & 8.*

73. Validum est matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis; cum infideles non afficiantur impedimenti jure Ecclesiastico inductis, & matrimonium in illis gradibus non sit irritum jure naturæ. *Ibid. num. 9.*

74. Matrimonium contractum à fidelibus consanguineis in linea recta, extra quartum gradum, validum est. *Ibid. num. 10.*

75. In primo gradu lineæ transversæ, nempe inter fratrem & sororem, invalidum est matrimonium jure naturæ; & licet Papa dispensare potest ut matrimonium celebretur cum filio fratris aut sororis qui sunt in secundo gradu, ita potest dispensare in tertio & quarto; nam in his gradibus matrimonium non est irritum jure naturæ. *Ibid. n. 12 & 13.*

Impedimentum cognationis spiritualis.

76. Cognatio spiritualis est propinquitas, seu attinentia quarundam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, aut Confirmationis, & propter susceptionem recipientis hæc sacramenta. Cognatio spiritualis in Baptismo contrahitur inter baptizantem & baptizatum, inter susceptorem & baptizatum, inter baptizantem & patrem ac matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores & patrem ac matrem baptizati, dirimitq; matrimonium jure Ecclesiastico, non verò inter ipsos susceptores. *Ib. §. 2. n. 1. 2 & 4.*

77. Ad contrahendam cognationem in Baptismo, vel in Confirmatione requiritur ut teneatur infans in Baptismo, scilicet lemmi, ut puer suscipiatur quando primò baptizatur, ut ad sit intentio tacita vel expressa præstandi munus patrini, ut non adsit error personæ, ut baptizans aut suscipiens sit baptizatus quare infidelis nullam contrahit cognationem; deinde ut co-